

**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri  
Benedicti**

**Meyenschein, Benedikt**

**Hildesii, 1725**

**VD18 10311831**

XXVII. Qualiter debeat Abbas esse solicitus circa excommunicatos.  
Antidotis plenus sapiénsque sit Abba Galenus, Sit profugos quærens  
Pastor, opémque ferens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

eo, vel mandatum ei dirigere b, similem sortiatur c excommunicationis vindictam.

a) *Sive associare.*

b) *Id est, aliquid nunciare vel insinuare;*  
quo eodem sensu dixit Virgilius lib. 8.  
*Aeneid.* Multa patri mandata dabat  
portanda.

c) *Sive incurrat excommunicationem: nimirum vel purè Monasticam, si egerit cum talibus, de quibus c. 24. vel etiam Ecclesiasticam, si cum talibus, de quibus c. 23.*  
C 25.

4. MART. 4. JULII. 3. NOVEMB.

## C A P U T   XXVII.

*Qualiter beat Abbas esse solicitus  
circa excommunicatos.*

**O**mni solicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes Fratres; quia non est opus sanis Medicus, sed male habentibus a. Et ideo uti debet omni modo b, ut sapiens Medicus; immittere quasi e occul-

occultos consolatores semper *d*, id est,  
 Seniores sapientes Fratres, qui quasi se-  
 cretè consolentur Fratrem fluctuantem *e*,  
 & provocent eum ad humilitatis satisfa-  
 ctionem *f*, & consolentur eum, nè a-  
 bundantiori *g* tristitia absorbeatur: Sed  
 sicut ait Apostolus *h*: Confirmetur in eo  
 charitas *i*; & oretur pro eo ab omni-  
 bus *l*. Magnopcre enim debet solicitu-  
 dinem gerere Abbas, & omni sagacita-  
 te & industriâ curare, nè aliquam de ovi-  
 bus sibi creditis *m* perdat. Noverit enim,  
 se infirmarum curam suscepisse anima-  
 rum, non super sanas tyrannidem. Et  
 metuat Prophetæ comminationem, per  
 quem dicit Deus *n*: Quod crassum vi-  
 debatis, assumebatis *o*, & quod debile  
 erat, projiciebatis. Et Pastoris boni *p*  
 plum imitetur exemplum, qui relictis  
 nonaginta novem ovibus *q* in monti-  
 bus *r* abiit, unam ovem *s*, quæ erra-  
 verat, quærere: Cujus infirmitati in-  
 tantum compassus est, ut eam in sacris  
 humeris suis dignaretur imponere *t*, &  
 sic reportare ad gregem *u*.

a) Ex Matth. c. 9.

b) Sive

- b) Sive adhibere omnis generis remedia, quibus sanentur: qualia videre est cap. seq.
- c) Licet enim ex commissione Abbatis accedant, illam tamen manifestare non expedit, sed solum paternum vel fraternum compatiens animi affectum.
- d) Vox minus usitata. Smaragdus grācum dicit, non probat. Haeftenus cum aliis legendum putat sympectas, grācē cūptāctas, quod ex notis Rosweydi significat collusores. Hic proinde putem, non inepte sumi pro Confratribus, qui cum Apostolo sunt omnibus omnia facti. Pleraque editiones recentiores legunt senipetas, id est, senium petentes sive appropinquantes senio.
- e) Id est, in mōrōre constitutum, & variis propterea animi motibus quasi fluctibus agitatum.
- f) Id est, hortentur, ut per talem pœnitentiam se humiliare discat, & satisfacere pro priore suā superbiā & contumaciā.
- g) Sive nīmīā.
- h) 2. Cor. 2. ex quo desumptus est sensus præcedens, & solus immediate subsequens.
- i) Non sua, ut vult Haeftenus; qualis enim illa in excommunicato? Sed aliorum erga illum,

illum, exhibendo illi majora charitatis officia. Patet ex Vulgata, ubi legitur: in illum.

- I) Intercedendo vel apud Abbatem, vel apud Deum oratione privata; nam publica non licet.
- m) Id est, curæ suæ commissis.
- n) Ezech. 34. non quidem iisdem verbis, sed similibus.
- o) Id est, quod pingue & forte videbatis in grege meo, assumebatis [ sive ut legit Vulgata: occidebatis ] pro vobis, sive in commodum vestrum. &c.
- p) Scil. Filii Dei.
- q) Puta, novem Angelorum choris.
- r) Æternis, sive in cælo.
- s) Intellige, gentem humanam in terris.
- t) Nam languores nostros & peccata ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.  
*Isa. 53.*
- u) Scil. electorum.

---

5. MART. 5. JULII. 4. NOVEMB.

## CAPUT XXVIII.

De his, qui saepius correpti non  
emendaverint.

Si-